

Konarski S. Stanisł. i Sch. pius
De viro honesto et bono eive
Oratio.

Varyaviae 1754.



XVIII.2.117

<http://rcin.org.pl>

De VIRO HONESTO & BONO CIVE
Ab ineunte ætate formando

O R A T I O

Stanislai Konarski è Scholis Piis.

Cum in maxima amplissimorum utriusque Status Senatorum, Ministrorumque Regni & Magni Ducatus Lithvaniæ, ac aliorum Procerum frequentia sub tempus Comitiorum Reipublicæ, nobilissima Juventus ad novum Collegium Nobilium, Varfaviæ, auspiciatò introduceretur. Anno 1754.
viii. Cal. Octobris.

V A R S A V I Æ.
Typis S. R. M. & Reipublicæ in Collegio Schol: Piarum.



Quod enim munus reipublica afferre majus meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus juventutem? his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit. Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adolescenter se ad haec studia convertant, pauci utinam! quorum tamen in republica late patere poterit industria. Cic de Divin: lib: 2.

Amplissimis Principibus, Præsulibus, Senato-
ribus & Ministris Regni Poloniæ ac Ma-
gni Ducatûs Lithvaniæ.

Stanislaus Konarski S. P.

I*nter potissimas, ejus quod geritis, muneris ve-
stri partes. postrema non est sollicitudo vestra,
de recte instituenda nobili juventute. Lau-
dabile id vobis, perinde ac salutare est Pa-
triciæ. Probe enim nostis, ariolos & aruspici-
ces quo nobis divinent, consulendos non esse, qualis olim sit
futura respublica: securius certiusque præsagium est, illam*

(a2)

fore

fore talem, quales liberi vestri ad eam tradendam accessuri olim sint. Liberos autem vestros, eos mores eamque cogitandi & vivendi rationem retenturos, quibus jam inde à teneris imbuti fuerint. Summam itaque rei à solerti & provida educatione pendere sapienter censetis. Hac de re, eadem vestra est, quæ & Josephi Calasanti beati auctoris, divique nostri legislatoris sententia: in diligenti, inquit, exercitatione instituti, quod juvenum educationi præficitur, generalia Concilia, Sancti Patres & Philosophi reipublicæ christianæ reformationem consistere, unanimi consensu affirmant. Si enim diligenter à teneris pueri pietate ac literis imbuantur, felix & totius vitæ eorum cursus, & reipublicæ status proculdubio sperandus est. Utinam jam, (nam ad duo capita, cætera omnia mihi posse reduci videntur) viros honestos & bonos cives, quos nostræ curæ committitis, ecclesiæ, patriæ, principi, vobisque, & illustribus eorum parentibus, eos reddere possimus. Proderit fortasse hunc ad finem iis aliquid, & hæc, quam, solis imperiis vestris prompte obsecundando, usui illorum prælo subjeci, lucubratio. Quam cum vobis, sacra vestra auctoritate compulsus, in monimentum & vestri erga me benevolentissimi, & mei erga vos grati animi, cum summa singulisque à me debita veneratione, exhibeo, vestrum apud optimos piissimosque Principes, Regem, Reginam nostram, augustamque domum regiam, & apud Rempublicam, præsidium, fidem, defensionem, opemque Collegio huic, totique nostræ Congregationi magnopere exoro.



ORATIO

Conspecta vel primo ictu oculi, amplissimi Proceres, sacri hujus pro educanda nobili juventute ædificij mole, quicumque demum sciverit, nullo certo fundatore, nullis certis proventibus, eam esse perductam ad hunc, quem spectatis cum voluptate, splendorem: nemo jam, quantumcunque pusilli sit animi, dubitabit, nemo ambiget, bonos quosvis conatus, utut ardui difficillimique sint, præsentissimo divinæ providentiæ auxilio non destitui: imo verò bene & utiliter cæpta, etiam supra hominum expectationem, felicem semper finem fortiri. Ædes hæc, ut nobis quidem videtur, pro necessitate rei ad quam destinatur, non incommoda, ut vobis, ob singularem vestram humanitatem multisque existimatur, etiam splendida, ædes inquam hæc, ad publicam utilitatem excitata, monumentum erit memorabile, cæleste ijs rebus non deesse præsidium, quæ, non privati commodi gratiâ, non vana captandæ solius popularis auræ ac gloriolæ cupiditate, sed quæ propter bonum Ecclesiæ & Patriæ, fuscipiuntur.

Collegium sane istud à duodenis fere abhinc annis, non in ullis, aut opibus prius ut solet paratis, aut securis fundorum fructibus, aut oblati simul à quocunque subsidijs, cæptum, sed sola in eo spe, qui aperit manum suam, & faviter disponit omnia, unice nixum, in per-

plexissima


plexissima initia non incidere non potuit. Manifestum proinde est, unica præpotentis Dei ope, eò jam opus istud pervenisse, quò vix ac ne vix quidem à plerisque principio sperabatur. Sed postquam Franciscus Comes Bieliniski supremus Regni Mareschalcus, si quis alius propagandi boni publici cupidissimus, juxta ac studiosissimus, secundis primum lapidem jecisset auspicijs, mox sensim plurimum præclarissimorum in Republica Virorum, Principumque Fæminarum, quorum omnium illustria nomina monumentis nostris perennibus consecrata, longum hîc esset recensere, piâ munificentîâ crescere augerique cæpit. At enimvero Joannis Comitis Tarlo Palatini Sendomiriæ, cum grata summi clarissimique in Republica viri recodatione, nobis semper commemorandi, ac æque boni publici amantium præstantissimorumque ejus Successorum insignis liberalitas, structuram hanc, magna sui parte juvit & ampliavit. Denique ex honorificentissimo, loco huic, publico Senatus consulto, definitum, & sexennio, à Supremo Regni Thesaurario Comite Odrovanzio Siedlnicki, Collegij hujus singularissimo indigete & patrono, persolutum stipendium, non parum ad opus hoc maturandum contribuit. Hæ viæ, hi similesque hæctenus fuere modi, quibus ea, quam principio diximus, cælestis Providentia, ad domicilium hoc pro educatione illustri Juventutis maxima jam parte, ut videtis, extructum, usa est, atque fiduciam & spes in se positas nequaquam fefellit, nec eas, donec undequaque compleatur, decipiet. Quanto verò, cum fabricæ istius fundamenta locari inciperent, & privatim, & publice, minùs plerisque probabile videbatur, posse eam ad hunc in quo jam est statum deduci; tantò cum eò usque deducta sit, & solemniores Deo O.M. supplicationes ac victimæ, &

majo-

majores tam AUGUSTO Tertio potentissimo, religiosissimo, ac sapientissimo Regi nostro, qui Collegium istud perhonorifico dignatus est cohonestare diplomate; quàm universæ Reipublicæ, munificisque in ea Benefactoribus, a nobis debentur gratiæ, quas illis omnibus, quàm mens capere potest maximas sincerisque, non tam exaggerata oratione, verborumque copiâ & pompâ, quam ex intimo animorum sensu, præsentī celebritate & palàm reddimus, & immortales ac perpetuas profiteamur.

At quoniam vera grati animi exhibitio, non nuda voce testificanda sit, sed re, atque officio: quale jam hoc loci, sit nostrum, illud ego, Amplissimi Proceres, paucis, ut potero, & complectar, & vobis, si me benevolentissima, quam à singulis mihi præstari exoro, attentione vestra dignabimini, clarè dilucidèque exponam.

Instituti nostri ratio palàm est. Ad educandam in pietate, bonisque moribus, & à primis, infimisque ordiēdo principijs, in liberalibus artibus, scientijsque juventutem, sacramento jurisjurandi obstringimur. Ut præcipuè adolescentulorum pauperum gratis erudiendorum, pro quibus ad Congregationis nostræ ortum, nulla publica Romæ extiterunt gymnasia, omnem curam habeamus, tenemur. Has partes nobis honori, decorique ducimus. Secùs, quovis milite, quovis opifice, ineptiores imprudentioresque essemus, quorum ille, quocumque loco natus sit, arma humeris portare, excubias ad vallum portasve agere, humum fodere, & quæcunque postrema, præstò pro imperio exequi, nisi amens sit, non erubescit, hunc sui, cujuscunque opificij nunquam, & nusquam puduit. Sed enimverò præceptum, exemplumque Christi Dei parvulis circumfusi, eosque docentis, quò nostrum divinitus condecoratur munus, ad illud alacri-



ter, libenterque obeundum, hominibus meæ sectæ abundè sufficit.

Jam ad educandam nobilem quamvis, quæ Scholas nostras frequentet, juventutem, eâdem nos religione stringi, eâdem juramenti sanctitate teneri, docent clarè leges, regulæque nostræ; ostendit perpetuus idem mos ab exordio Ordinis, probant primæ ante annos prope centum quadragenos ad divum Pantaleonem in Urbe Scholæ Publicæ, à B. Nostro Fundatore apertæ; jamque sub ejus ipsius oculis annis permultis inclita Nobilitate Romana frequentissimæ; demonstrat celebre Nobilissimumque in principe Orbis Metropoli, Collegium nostrum, quod ita a Fundatore pijsimo Cardinali Tonto Archiepiscopo Nasareno, Domoque Virginis Matris, apellant, Nasarenum, ab eodem ipso sanctissimo Auctore, ac Legislatore nostro, susceptum, separatis, ac proprijs legibus ab illo munitum, & ejus jam temporibus nobilitate refertum, & nunc lectissimâ totius Italiæ, aliorumque Regnorum juventute florentissimum; confirmat perennis usus, cum in permultis Europæ Provincijs, tum in hac ipsa Republica, quæ Scholas Pias, ad commodum instituendæ Nobilis juventutis, à Vladislao quarto Româ evocatas, municipali sua lege exornare, ac firmare non dubitavit; monet denique amplissimis summorum Pontificum diplomatibus, & decretis solemniter facta & asserta Institutum nostri explicatio.

Quod dum perlibenter profiteremur, scimus jam probè maximi apud Deum, & Patriam esse meriti, eos omni caritate, diligenterque erudire, quorum excolendis ingenijs, parentum egestas obstaculo est; sed simul novimus non minoris rem esse momenti, omni, qua par est, educare diligentia, nobiles illustresque adolescentes, in quorum

rum

rum manibus sit olim futura Respublica, quique natalium prærogativâ, ad omnia, atque etiam primaria Ecclesiæ, & Reipublicæ, destinandi sint olim munia. Talius unius, recta & solers educatio, sæpe sæpius centenis, millenisque alijs, majora Patriæ emolumenta, attulit.


Cum itaque in politicioribus passim Europæ Provincijs, Nobilitatis diligentius educandæ gratiâ, Societates quædam & Collegia sapienter instituta sint; nos quoque qui pro maximis in nos Reipublicæ beneficijs, optimè de ea juxta Instituti nostri modum, ac tenuitatem merendi, ardentissimo flagramus studio, à quindenis annis in animum induximus, capimusque hoc in genere, pro angustijs tum loci, conari aliquid, & deinde ad normam, legemque nostri Collegij Nasareni de Urbe, in hac inclyta Regum sede, Lycæum istud, pro virili parte nostra, instituere.

Jam ut, perpaucis enuntiem, quod sit illud omnino præcipuum in hoc loco officium nostrum erga Patriam, omnes caritates complexam; nihil brevius, simpliciusque hac de re possum dicere, quàm: quod hîc Nobliles Juvenes juxta Christianarum, & Patriarum legum præcepta, imprimis VIROS HONESTOS, deinde BONOS CIVES formare, ut nostri muneris est, & ut summopere exoptamus, diligenter conabimur. Inter honesti viri, ac boni Civis ideam, seu formam malitis, hoc duntaxat, quæso, ponamus discrimen, ut honestum Virum in semetipso, bonum verò Civem, quò ad alios, seu quò ad societatem humanam, spectemus.


Rationem itaque brevibus exponere me vobis oportet, quâ præprimis in formandis adolescentibus in Viros honestos, nos, nostrique, hoc loci utentur posterî. Honestatem ipsam, cumprimis non eam, nec talem volumus, qualem peregrinæ quædam opiniones invehunt,
nobisque

nobisque conantur obtrudere; quibus ad formam honesti fati est, nihil contra proprium decus, ac honorem admittere, de quo coram hominibus erubescendum sit, amicitiae jura sincerè colere, stare verbo, decipere neminem, leges omnes societatis humanae servare, & alia id genus commendabilia, & perbona. Haec & nos quidem vehementer laudamus. Sed cum ista omnia, extrinsecus duntaxat ita effingant hominem, ut, dummodo externa omnis virtutis servata specie, famam, claritudinem, bonumque nomen, apud eos, quibuscum versatur, & vivit, in tuto posuerit; jam vir ille si dijs placet honestissimus, internis omnibus vitijs, cupiditatibus, ac libidinibus scaterere, & indulgere, cenfore remoto, clam possit, atque ea omnia admittere fas illi sit, quae ipsum duntaxat in oculis hominum minimè dehonestent, nec ei epicuream illam animi tranquillitatem convellant. Negent haec, qui revera sunt hujus sententiae, sectaeque, ut velint, quorum hac tempestate jam plena sunt omnia, negent, inquam, haec, nos factis eorum convincimur; sic eos de honestate sentire, ita vivere. Nos jam omnia, nè multa enumerando, frustra his immorer, nos, dico, haec omnia, quae & illi, in natura, ac conditione honesti libenter ponimus, sed, quod illi non faciunt, nos, vobiscum certè sapientissimi Auditores, necessariò faciendum existimamus: primum nimirum in viro honesto illud volumus: sciat, & satagat Deum ritè colere, & juxta Religionem vivere, Religionis Christianae legibus, & principijs, animum, vitam, moresque subjicere. Hoc jacto fundamento, deinde & ea omnia, quae & isti dicunt, nos quoque libentissimè adjungimus.

Primo itaque loco, Adolescentibus nobiles, nostrae curae commissis, sedulò haec, continuoque proponimus:
 cum



Cùm à sola religione, solida & interna animi bonitas, morumque innocentia pendeat, cùm nihil ratio humana, nihil omnis philosophia, ethica, ac politica, tam efficax, in mentes hominum ad virtutem flectendas, & à flagitio absterrendas contineat, quàm religionis vis, hanc itaque imprimis, summo studio, totaque virium contentione sequantur, & colant, ut, quæ sint Dei, Deo, omnino, semper, & quam religiosissimè, exactissimèque persolvant. Quamobrem a pernecessario religionis erga Deum officio, quotidie vivere ut incipiant, matutinas, vespertinasque ante cubitum preces, quâ, animi ad Patrem cælestem devotione possunt, tum deinceps magnæ Dei Matris cultum, ne ullo penitus vitæ die intermittant, monentur. Sacrosanctum vero altaris sacrificium quotidie, festisque imprimis diebus, cum debita attentione, silentio, modestia, & fervore, sacramenta autem sæpe, & religiose pluries in anno frequentare condiscant, & pœnitentiæ lustrum, quam sæpius expiari non negligant. Si namus jam recentes istos, novæ cujusdam honestatis auctores, præceptoresque, quidquid de nostris illi dicant principijs: nos, qui vobiscum, religionem pro basi, ac radice honestatis ponimus, continuo Juvenes adhortandos nobis ducimus, sanctam ut catholicam fidem, rite, prout capere possunt, scire, & intelligere curent, ac evangelica monita, & consilia bene memoriæ imprimant. Romanam Ecclesiam, ut matrem, reveantur, & ament, atque in avitæ Fidei defensionem, animam, sanguinemque profunderent, sint more majorum, parati. Sacerdotij, cui religionis custodia divinitus commissâ est, debitam reverentiam habeant, nedumque illi damna non inferant, sed & ejus legitima jura tueantur, ac exactè eidem pro justitia, & cælesti mercede, in stipendijs ac censibus satisfacere studeant,




studeant. Jejunia præscripta religiose observent, ac irreligiosorum, impiorumque hominum licentiam, profanos rifus, & dicta contemnant. Opera charitatis pro modo statûs, conditionisque suæ, indefessi exercent: summam in pauperes pietatem, ab ineunte condiscant ætate, commiserationem erga miseros crescere secum sentiant: eleemosynas jure divino pauperibus omnino deberi, eas & temporalem, & æternam manere mercedem, in ijsque potissimum rem christianam, ac præcipuum meritum, apud Deum consistere; immisericordes verò, esse Deo detestabiles, gravissimèque, & in præsentì, & in futura puniri vita, certissimum, persuasissimumque fit illis: ideo, plus datum uni, quam alteri, ut, cum egentiore ditior partiatur, secùs, Providentiam fore profectò injustam. Ad largiendum igitur egenis, & pauperibus sint alacres. Deum conditorem, creatorem, suumque principium, & suum ultimum ad quem sint creati, finem esse, & mente cognoscant, & opere colant, ideoque quotidiana mentis voluntatisque intentione, omnes actiones suas, ad Dei gloriam dirigant, offerant, consecrentque, & in omnibus Dei laudem respiciant. Animæ immortalis salutem, omnibus mundi, vitæque bonis & negotijs longè præferant, cælestemque gloriam, uti unicum vitæ præsentis scopum, & metam in omnibus, quæ agunt, prospiciant. Peccatum denique omne, tanquam summi, optimique Dei offensam, & certam salutis æternæ jacturam, toto virium conatu, tota vita, plus omnibus malis, infortunijs, supplicijsque metuant, detestentur, & vitent, & si quæ humana fragilitate contraxerint, mox indilata pœnitentia, diluere, semper, donec vixerint, satagant.

Super his itaque, similibusque principijs, apud nos vera honestas imprimis fundatur. Depravatæ quidem sæculi

sæculi nostri philosophiæ, quando ita magnifice, ampul-
larèque, nominari & ambit & solet, supersticiosa hæc
esse videntur, quæ profectò superba morum magistra,
cum omnia censurâ superstitionis perstringit, tollit fundi-
tus pietatem. Nos superstitionem à religione penitus
separamus, illius apinis, ne capiantur alligenturque men-
tes juvenum, magnopere cavemus, hanc eorum animis
imprimere, & insculpere, majorem in modum, satagimus.
Jam religione præjecta, quæ sola ad honestè vivendum
sufficeret; ne tamen & in nostro educandi modo, philo-
sophi isti, quæ illi tantopere commendant, desiderant, ad
rationem coram vobis consiliorum nostrorum, ulterius
copiosiusque reddendam, obligari me sentio.

Singulari igitur opera, omnique studio adolescenti-
bus inspirare connitimur, ut afuescant, & discant, ut ha-
bitum contrahant, non quadam virtutis superficie, sed
intimè, & ex animo, in omni re, esse JUSTI. Suadetur
ipsis, omnia ut mala potius, pœnas omnes, paupertatem,
mortemque ipsam, quàm injustitiam, palam, vel clancu-
lum, committere præferant: hocque præcipuò, hoc (in-
quam) christiane vivendi principiò, à teneris, quàm so-
licitissimè imbuuntur. Hujus itaque virtutis præ cæter-
is summam æstimationem habere docentur, quæ suum
cuique tribuere jubet. Inspiratur ijs, nihil ut æquè cu-
pian in mortali hac vita, quàm & esse, & (ut Aristidis
propria, ac præclarissima laus illa fuit) reputari, vocarique
justi. Hanc omnium laudum pulcherrimam, præstantis-
simamque putent, hanc ambient, hanc depereant. In
eorum itaque judicijs, errores mentis illorum, identidem
& sæpius deteguntur. An non enimvero millenæ occasio-
nes patent, ubi puerili levitate, unus alteri injuriam vel
verbo infert? vel actione facit? in his, qui eos dirigunt,




illos commonere conantur, & suæ convincere injustitiæ. Imo etiam in quibuscunque eorum pœnis, quò ad humanitus fieri potest, laboratur semper, ut justitiam corrigentis, suam ingenuè, modestèque injustitiam, reatumque agnoscant. Sæpe præterea, justæ actiones, vel injustæ, principum in populos, judicium in partes, magistratum in cives, dominorum in servos, eminentium in mercatores, solventium in artifices, & vicissim; denique amicorum in amicos, hominum in homines, ijs producuntur, exaggerantur, ac atris depinguntur coloribus: vixque vobis credibile est, nisi spectatores arbitrique ipsimet essetis, quam ut hæc & observent, & concipiant, majorem in modum contenditur. Illud, (nam quid divinius unquam audivimus?) illud inquam: *quod ab alio oderis tibi fieri, ne alteri facias. Tob: 4.* pro regula totius vitæ, habere commonentur. Præmonentur denique, quod, nisi justii esse desiderent, justii devenire contendant, justii sint, nisi internam dispositionem animi, & cordis, ad justitiam semper agnoscendam, faciendamque sibi inesse sentiant, nisi injustitias, ad quas naturâ homines proni sumus, in semet observare, & emendare semper totis viribus connitantur, sciant se futuros malos homines, malos amicos, iniquos judices, nequam dominos, raptore milites, improbos cives, reipublicæ pestes, magistratum monstra, odiorum, ac contemptus humani metam, Patriæ, ac sæculi sui opprobrium, societatis humanæ hostes, omnibus, quibuscum vivunt, intolerabiles, & despectos, in vita, & post mortem infelicissimos.

Putatisne jam, Auditores, viri honesti aliam, aut meliorem, aut verioreni posse dari imaginem, quàm viri religiosi, ac justii? Ita, religionis, justitiæque amore, adolescentium animis, paulatim instillato, cætera jam planè sequun-

sequuntur. Vultisne, primo ab his quæ diximus, loco, ut ipsis inculcentur continuò, officia in parentes, in principes, in majores, in consanguineos, in amicos, in quemvis proximum, in servos, in eorum ditioni potestatique subditos? continuò inculcantur. Commendari ipsis vehementer cupitis, severam exactitudinem, in solvendis famulis, opificibus, artificibus, mercatoribus, atque in omnibus debitis, prompte, sancteque cuicumque reddendis? & hæc ipsis perquam anxie commendatur. Judicatis rem necessariam, ut de fide, & veritate in promissis, in contractibus privatis, & publicis, in conventionibus quibusvis, & pactionibus juridicis, sacrosanctè servanda doceantur? sollicitè docentur. Optatis, ut vel a teneris, sinceritas, & constantia in amicitia, delectusque proborum amicorum, ipsis magnopere suadeatur? præprimis suadetur.

Huc jam quam plurima pertinere probe omnino judicatis. Quibus enim prætextam nuper exuti in societate humana tyrones & novitij, discernant notis? qui sint illis deligendi amici? Hoc enimvero cognitu difficilimum est. An non ergo generalibus saltem eos legibus & monitis præmuniri oportet? Amicitiam nempe, eam, & solam veramque, & stabilem esse, quæ ab existimatione personæ oritur. Existimationem autem solidam, a virtute sola hominibus comparari. Itaque amicitiam constanter fundari præterquam in virtute non posse. Quæ cum probo viro coalescit, eam solam esse indissolubilem; quæ temeritate & levitate, quæ flagitio & scelere contrahitur, nec esse veram, nec diuturnam posse. In eo proinde, quem amicum cupias, ante omnia, virtutem hominis, pietatem, honestatem, prudentiam, secretum, veritatem & sinceritatem, denique bonam, quæ hæc consequitur,




quitur, apud omnes famam, diu quidem explora. Improbum, superbum, moribus ac clandestinis libidinibus effraenem, impium, mendacem, garrulum, callidum vaftrumque, ac proinde bonis aut suspectum aut invisum, peste & flamma cautius devitare stude. Non exiguo, quamvis nec maximo tempore, ad hæc pernoscenda diligenti & cauto opus est: tametsi nunquam longa nimis deliberatio, nunquam omnino nimia diligentia est in eligendo bono, quem velis, amico. Nam ex ijs quæ foris & palam sunt omnibus, non tam bene dispicias, qualis intus sit, hominem, quam ex ejus vita privata domesticisque moribus. Diu ergo differendum est, & perquam paulatim necesse est, sanctum illud strictumque amicitiae ac necessitudinis vinculum.

Putent vero hic Juvenes vitam illis non suffecturam, si hac prolixa ratione plures velint parare amicos. Sed enim vero monentur, amicorum quidem multitudinem præfertim in republica necessario comparandam esse, at plurimum interesse discriminis, inter amicos quorum gratiam & benevolentiam studiosè captes, & inter amicos quibus fidere plane & undequaque possis. E primis illis, etiam innumeros conciliare curæ nobis sit, ex his verò secundis, si eo pervenire possumus, sumus perpauca contenti, felices & læti. O! quam perrari sunt phœnicique similes, in quorum sinum plena te conjicere fide & fiducia queas, quorum consilia & exempla tuto sequi fas sit. Talium ergo summus commendatur delectus. Alij esto innumerales officijs omnibus conquirantur, aggregentur, conscribantur, præstat enim omnes habere addictos, quam hostem unum, ita bene à natura facti cogitant, ita discipiunt; & hi quidem erunt populares, faventes ac benevoli. Alij iam è plurimis pauci, ea quam diximus examinentur trutina,

&

& hi verorum sane amicorum nomine censentur. Quæ autem cum ijs servanda religiosè sint? minimè quæso dubitatis, ea quoque juvenibus nostris sollicitè prælegi. Ut plura mittam, quibusdam imprimis conditionibus summam amicitiaë stare, edocentur. Tam nihil injusti ab amicis petendum, quam nihil injusti amicorum causa vel precibus faciendum aut admittendum esse, secus amicitiaë tollitur & corrumpitur fundamentum, quæ est mutua virtutis ac honesti in utroque existimatio. Fidem in omnibus constantissimam, & inviolabilem sanctioris secreti religionem esse inter amicos colendam; quibus labefactatis vel sublatis, nihil reliquum firmum aut venerabile in amicitia fit. Amicos, ut semper idem nobiscum sentiant, cogendos non esse; id enim gravissimum & intolerabile esset in amicitia jugum. Vicia amicorum dissimulari oportere, nec levi quacunque causa, irritari amicitiaë fœdera; nihil enim minus humanum est, quam verba, & quacunque imprudentiam mox dare crimini, ubi vetus amici, perpetuus constansque animus considerandus est potius, quam quidquid fortuito excidere potuit. Denique reipsa, non verborum amplexuumque officijs, cum præsentibus, tum absentibus amicis testandam probandamque esse, quoties opus sit, amicitiam; inde, ad benefaciendum, pro fortunæ modo, & ad juvandas, promovendasque res amicorum, in juvenibus pietas, ac alacritas excitatur.

Hæc capita de amicitia mihi comprobare videmini: sed desideratis insuper ut adolescentibus per omnes divinas, humanasque rationes, ab ipsa natura imposita, pro beneficijs, aut officijs, a quocunque acceptis, grati animi perpetua obligatio, ingrati animi horror, turpitudine, & macula, sollicitè explicentur? explicantur, exponuntur, exaggerantur.



gerantur. Jam præterea modestiæ in prosperis, patientiæ in adversis necessitas, jam mala innumerabilia, & gravissima conditionis humanæ, jam æquanimitas, & prompta in omnibus ad voluntatem, fatumque supremi numinis, obedientia, illis prædicantur. Jam de naturæ inter omnes homines æqualitate sedulo monentur, quàmque casus, & mera fors sit, nobili locò, familiæque nascendi, quàm nobilitas vera, in sola virtute sita sit, & ad virtutem sit stimulus, quàm sine virtute, ingenio, honestisque moribus, sit inutilis, & vana nobilitas.

Ira eorum, ad quam juvenibus nihil proclivius, continuo modis quibus potest, frænatur. Furor, impetus, ac violenti motus animi in ijs, si suavius componi sedarique recusant, fortius, severiusque domantur. Nostis vero huic innatam ætutulæ, factis, dictisque lædendi alios petulantiam; ad hanc in eis coercendam, nihil ita, quam assidua moderatorum vigilantia proficit: hi illis honoris alieni, ut sui proprii, rationem æque semper habendam, injurijs mutuis, detractionibus famæ absentium, convitijsque pro societatis humanæ vinculo, pro conscientia, decoro, & urbanitate, cautissimè abstinendum, perpetuo prædicant. At enim fastûs superbiæque eorum, (quæ est innatum nobilitatis vitium) deprimendæ ergo, præsentatur ijs, necessaria ac tempestitiva vanitatis rerum mundanarum cognitio, consulitur illis solidus, ac non tantum hominibus solitarijs, vitamque monasticam professis, sed & cuivis bene ratione utenti viro, etiam opulentissimo ditissimoque conveniens, & necessarius, mundi, vitæ brevis, divitiarum, honorum, gloriæ vanæ, luxûsque contemptus. Ostenditur ipsis brevis, & caducitas opum, ac omnium humanarum rerum, falsæque hominum de his fluxis, & incertis bonis, opiniones. Mortis certitudo, & incertitudo

do

do diei. Vera beatitudo hominis, & necessaria æternorum cura. Vera hominis felicitas, collocata in sola felicitate æterna. Hinc ijs suadetur moderatio desideriorum depravati cordis humani, ne videlicet juvenes, ut mox ab unguiculis solent, in magnis fortunis, & pompis, maximum vitæ humanæ, suumque bonum statuunt, nevé eas nimium laudare, nimium æstimare, nimium optare consuecant: ac hæc quidem curanda diligenter esse, sed non cum divinæ gratiæ, virtutis, conscientiæ, ac salutis jactura, esse curanda intelligant.

Vellem jam, ne forte vos his tædiosè morer, cætera præterire; at enimvero animadvertere mihi videor, pleraque adhuc in hoc genere à vobis desiderari, quæ juvenibus scitu pernecessaria omnino judicetis. An enim non cogitatis summum adhuc veritatis studium, ac imprimis mendaciæ fugam, omni quoad fieri potest, efficaciore vi, & modo ijs esse suadendam? quamque ad sacrosanctè observandam juramenti, invocatiq; divini nominis religionem, ad perjuriæ detestationem, & horrorem, ad vitandam temerè jurandi, pejerandique consuetudinem; modis omnibus eos induci oporteat? Suggestere vos ipsi mihi videmini, nihil esse salubrius, quàm, si quàm possit vividius, pessimus, ac ignominiosus hominis falsi, falsi amici, viri perversi, perfidi, & versipellis character, sive malitis, indoles, adolescentulis ponatur ob oculos; quàm si notæ infames hominis avari, sordidi, usurarij, raptoris, furis publici, invasoris; quàm si detestabilis naturâ hominis ad lites proni, rixosi, litigijs & continuis ad tribunalia, & judicia aliorum provocationibus fastidiosissimi, ac hominum societati gravis; quàm si leve, contemnendumque ingenium hominis perpetuò jocosum, continuo verborum ambiguum usum, præsertim cum aliorum offen-

diculo



diculo ineptè faceti, illis identidem proprijs diligenter depingantur coloribus. Alij veſtrûm inpræſentiarum menti occurrit, ebrietatis execrandum, & abominabile vitium, fanitati, fortunæ, honori, conſcientiæ, nimiùm noxium. Alius è vobis ſecum volvit animô, ſocietatis malæ cum hominibus, præſertim adoleſcentibus, ætate paribus, ijs vero levibus, laſcivis, ganeonibus, graſſâtoribus, ſimilisque farinæ, infinita & maxima damna, certamque etiam à contagione cum malis corruptionem bonorum. Huic incogitationem venit, verborum laſcivorum, jocosumque inverecundorum turpitude, homini gravi, multo magis chriſtiano adoleſcenti nimiùm indecora; illi nullum in juvenibus pejus futuri præſagium, quàm pudoris, & verecundiæ amiſſio. Alteri ſcandali tam domi, quàm in publico gravitas.

Jam omnes quotquot hic aſteſtis graviffimi viri odiftis, ridetis & deſpicitis, duo præſertim juvenum genera, alios illos nimiùm delicatos, ac effæminatos troſſulos, quorum totum ſtudium, atque una eorum voluptas, incincinnis niſtantibusque auro atque argento prætextis & ſimbrijs: quorum maxima pars vitæ, ludi, cantus, choreæ; quibus dum citharædos chœraulasque ſuperare contendunt, nihil jam ab Italia Galliaque doctius ac elegantius nobis putant afferre ſe poſſe. Alij ex his, audierunt, legerunt ſciuntque multa, ſed nimia de ſe opinione tumidi, cedere nemini, ſententiam mordicus tueri, importune cunctis obſtrepere, magiſtri ac pædagogi vocem, vultum geſtumque in conſeſſibus ſimulare, ſoli velle loqui, velle jam docere conſueverunt: ubi nedum juvenculis, ſed & judicio præſtantibus viris, plus ſemper audire quam loqui expediat. Ego vero nec illos præterire hic poſſum, qui aut ætatis ſuæ aut conditionis graduſve immemores. in-
credi-

credibili quadam audacia, inter summos magistratus, viros & fæminas principes, ita versantur, ita se ijs obtrudunt, quasi nullum, aut ætatis, aut dignitatis esset inter eos discrimen. Vultu, voce, accubatione, manuum motu affectatissimo. Importuna, permolesta, ac inverecunda, subauscultandi, quæ quis loquitur, lectitandi, quæ scribit, rerumvé in aliena domo lustrandarum curiositate: ubi permodestè, verecundè, cautè, prudenter, ac ingenue omnia, affectatè nihil agere, omne decorum præcipit.

Hæc omnia juvenibus vehementer inculcari, hæc eos moneri cupitis. Estote quæso certi, securique, nihil horum à nobis intactum relinqui. Addam ego, his etiam perutile quiddam, quod a vobis vix expectari puto: famulorum videlicet nequam, adulatorum, parasitorum, pessimæ in decipiendis dominis, præsertim junioribus, artes, juvenibus deteguntur, bonorum verò, ac fidelium fervorum, inæstimabile ijs ostenditur pretium, & quàm ij bene tractandi, quàm libertas vera dicendi ijs permitienda sit, quàm dijudicandum solidè, quidquid ab alijs, qui eos subvertere velint, domino deferatur, quam universim servitia omnia, villici, agricolæ, coloni, servi etiam infimi, benignè, clementerque habendi, quàm a furioso impetu, crudelitate verborum, & verberum, percussionibus, ab extorquendis & lachrymis & tributis, a molestijs, direptionibus, vexationibus, omnique fævitæ genere, cum ijs, ut cum humilibus, quos ita vocat Seneca, amicis, abstinendum sit, quam denique eorum, qui & salutem & fortunas nostras curant, defendunt, custodiunt & augent, amor potius quam metus, bonis sit curandus dominis.

Adhortantur jam eos modo quodam præcipuo, qui curam eorum gerunt, ut societatem, & consuetudinem cum hominibus gravibus, cum primarijs, & optimatibus

C

reipu-

reipublicæ, cum viris doctis, & probis summopere quærant, & ad exempla modumque excellentiorum hominum sese conformare studeant. In conversationibus etiam a juvenili ætate, nobilis quædam ijs insinuatur libertas, cognoscendi dignissimos quosque homines, ijsque se se præsentandi, & insinuandi studium, nè ut malè educati, abjectæque conditionis, ac indolis pueri, dum apud parentes, consanguineos, virosque præcipuos, ad mensam, seu quomodolibet, invitantur, vel dum præsentantur iisdem, muti, stupentesque hæreant, sed alacriter mox, prudenterque respondeant, atque etiam ignotos alloqui, ac omni humanitate prævenire, ut satagant. Civilitatis, ac urbanitatis omnis in cultu debito, in salutando, alloquendo, respondendoque pro gradu, & discrimine personarum, modestæque cum in sedendo ac stando, tum in incessu continentia meminerint; recto semper capitis, corporisque situ, atque omni in vultu, capillis, habitu, vestituque munditia, & nitore. Hominibus denique claris, proceribus, sæminis & matronis gravibus, probari, commendarique curæ maximæ, cordique ut habeant. Laudibus stolidè nè extollantur, sed ad virtutem ijs potius excitentur: admonitionibus, & correptionibus nè offendantur, imò eas, sive à superioribus, sive à sui æqualibus, grate, patienterque excipiant, atque etiam, ut ingenui, desiderant.


Jam, in quo redargui à vobis meritò vereremur, esset profectò illud, si quod parentes à suis præcipuè expectant liberis, nos illis inculcare negligeremus, nimirum, ut scopum quendam vitæ, ad quem tendere eos oportet, sibi maturè præfigant. Nam omnibus in rep: hac libera vendum est: sed quo vitæ genere? Providentia viam aperiet. At in quodcumque demum se se olim coniciant,

Deo

Deo & patriæ esse serviendum gratificandumque ubique meminerint. Ubique enim aut consulendum est patriæ, aut defendenda est illis patria; munus utrumque pulcherrimum, honorificentissimum, gloriosum, salutare: ad quorū utrumque; vel à tenera juventute, eos totis viribus parari, & animum virtutibus, & ingenium doctrinis, & corpus exercitationibus, excoli, formarique oportet. Ut sive jam in comitijs & consilijs, sive in tribunalibus & judicijs, sive in senatu & ministerijs, sive in aula principis, sive denique in armis & castris, ubique homines probos honestosque, viros doctos & fortes reipublicæ addant, & bonorum adaugeant numerum. Quemcunque verò & majorum consilio, ac ductu, sine quo, nihil eis aggredi fas est, & sui propensione animi, statum, modumve vivendi amplexi fuerint, fortiter, constanterque in eo perseverent; cum longioris laboris, aut lentæ fortunæ impatientia, cum mutatio & inconstantia, certæ sint levis & inquieti animi notæ, hominemque & fructu præteriti temporis, ac futuri spe frustrant, & infelicem reddunt, & contemptui omnium, risuique exponunt.

Hæc, & hujusmodi plurima secundum religionis, justitiæque commendationem, continuo juventuti nobili, ut a nobis inspirentur, attendimus. Et hæc jam vobis amplissimi Proceres, satis, superque sunt, ut planè sensa nostra intelligatis, in quo nos nimirum honestatis naturam, ac indolem collocemus, & qua ratione, sollicitè nos procuraturos, reipublicæ spondeamus, adolescentes hic nobiles cum primis in viros honestos effingere.

COncedite jam ita, ut diximus, viros honestos formandi summam hoc loci nobis fore curam: certè inde sequetur, vos minimè jam à me quæsituros, quomodo bo-



nos cives patriæ formandos putemus? Honestus nempe in semetipso vir, erit simul & bonus civis, respectu ad alios, societatemque humanam. Sed sunt præterea quædam, quæ à præteritis fere non differunt, quæ tamen hic audire, adolescentes nobiles, maturè oportet, quibus deinceps jam extra ferulam, educationemque positi, & quodammodo emancipati, dum olim societatem inibunt, civitati que adscribentur, oportune necessarioque utantur. Patriæ itaque caritatem summam, ijs sæpe sæpius inculcare non desistimus, ut pueruli id concipere, vel a tenera ætate incipiant, quid sit, hic tantopere commendatus ab omnibus amor patriæ, quam sit dulcis & liberalis patriæ in eos pietas, quid patriæ debeant, quid pro patria, tota vita eos facere oporteat, quam diligenter cumprimis ad rectè gratificandum patriæ, ad eam cum fulciendam defendendamque, tum ornandam, se se in bonos formare cives, ijs necesse sit. Hæc illis contiuvoo celebrantur, leguntur, commemorantur.

Ab officijs autem erga patriam, inseparabilia esse alia erga principem, rectè quidem censetis: itaque & nos, illa frustra esse, nisi & hæc continuo jungantur, juvenes sedulo præmonemus. Simul itaque ijs majorem in modum à nobis commendantur, fides, benevolentia, amor, reverentia summa, constans obsequium, exacta obedientia erga principem: cujus dignitas & salus, vitæ etiam & sanguine tuenda sit illis. Utinam vero satis illis inculcare, & inspirare possimus, perfectam æstimationem, & exactam patriarum legum, constitutionum, senatûs consultorum observantiam: animum magistratibus, & imperijs obsequendi semper paratum, & promptum, decretis & jussis nos regentium alacrem parendi voluntatem, reverentissimam cum ijs, qui nobis præsunt, agendi rationem. Jam cum

cum ijs libertatis avitæ diligentissimum studium, & flagrantissimam defendendæ curam, majore, qua fieri potest, animi contentione, laudamus, tum simul eos ad omnis licentiæ, confusionis, ac anarchiæ, æquè ut ad turpis servitutis fugam, & detestationem magnoperè cohortamur. Audiunt illi, audiunt sæpe sæpius, atque utinam, ut par est, pro regula vitæ totius in republica id bene concipiunt, quàm privata commoda, reipublicæ, semper posthabenda sint: nec ob proprias, honoris, vindictæ, quæstûs, lucri, parandæque potentiæ rationes, miscendam esse, convellendamque rempublicam.

Sed quoniam perpetua omnium gentium experientia constat, ærumnarum publicarum, perturbati statûs, tumultuum, & sæpe bellorum civilium flammam, à quopiam semper Catilina oriri, qui (ut inquit de illo Sallustius) *nobili genere natus, ingenio pravo & malo, alieni appetens, profusus sui, cujusque ferox animus, agitabatur magis, magisque in dies rei familiaris inopia*, donec in incendium, clademque patriæ erupisset. Proinde nihil magis, frequentius nihil, adolescentibus nostris in memoriam revocatur, quam decoctorum, & prodigorum juvenum, qui patrimonia, gulâ, stolidisque expensis, aleis, taxillorum chartarumque ludis, vel luxu ridiculo abliguriunt, infelicissimus status, contemptus, & ridenda paupertas; ut conservandi, augendique patrimonij necessitatem agnoscant. Quantum illis celebratur parsimonia laudabilis, & prudens æconomia, in vivendi, expendendique rationibus? quantum æris alieni contrahendi fuga? quantum in impendendo modus, ut sit semper accommodatus, ad modum proventuum? nè expensæ percepta superent, sed pars reddituum pro casu, & opportunitate servetur. Quid de artis æconomicæ bene intelligendæ, exercendæque utilitate, ac
 neces-

necessitate? quid de diligentia, laboriosaque attentione in gubernatione propriorum bonorum, in inspectione eorundem administratorum, in examinandis eorum calculis? quid de moderatione, aureaque mediocritate in vestibus, equitatu, clientelis ad obsequia necessarijs non ad pompam inutilem, rhedis, domibus, fabricis, ornamentis, munditia nitida in apparatu domestico, musice, venationibus convivijs, muneribus? ne unquam hæc sint ultra modum redituum, sed ut isti, & ad debita pro cujusvis conditione vitæ commoda semper sufficere possint, & in augmenta fortunæ potius, debitis ante omnia persolutis, quam in luxum vertantur, & suppetant ad promptè semper juvandam è proprijs bonis patriam, pendendaque pro fide & conscientia, quævis nomina ac onera reipublicæ, quæ non aliter, quàm è privatorum ditescit opulencia.

Hæc & id genus ad civilem quàm maxime spectare vitam, monita, quis vestrum non intelligit? quis ijs juventutem tempestivè imbui oportere non judicat, non approbat, non desiderat? Sed jam innumera sunt alia, quæ illis dici, repeti, suaderique percupitis; persuasum quæso vobis sit, quod quantum vires, modique suppetunt, dicuntur, suadentur, repetuntur. Optatis enimverò, ex ijs viros fortes, qui armis majorum decus æmulentur, ac reipublicæ sint præsidio? ideo militaris gloriæ, in defendenda religione, patria, ac principe, ita illis proponitur, dignitas & præstantia; ut tamen simul illis vitia, & crimina in militaris vitæ genere, rapinæ nempe, violentiæ, concussiones, libidines, aleæ, honestis & christianis hominibus indignæ, penitus vitandæ proponantur. Optatis ex ijs integros, sanctosque judices? ideo gravitas, & majestas hujus muneris, identidem ipsis ita imprimitur, ut simul noscant, nihil esse rectè administrandæ justitiæ magis

aut

aut contrarium, aut tam fatale, quàm amicitia, necessitudinis, ac personarum intuitus, earundemque vel amor, vel metus, aut corruptela, largitioque munerum.

Optatis, ut sint populares cives, & grati carique civibus, & non suspecti principi? ideo affabilitas, comitas, suavitas, modestia, & humanissimus cum cunctis agendi modus semper servandus: ideo assiduè & acuratè captandæ omnes inserviendi, & obsequendi principi, eumque amoris & fidei convincendi occasiones: ideo circumspectio in verbis summa, præsertim in loquendo de principibus, & magistratibus, cum & in quocunque cive, & præcipue privato homine, audacia, insolentia, ac crimen intolerabile sit male de rep: male de regia gubernatione loqui: ideo potentiorum vitandæ offensæ, at simul vile illud adulandi, & vel mala quæcunque laudandi ministerium ùdequaque fugiendū: ideo regū, aulæque ministros propiores principi, per quos Providentia gubernans cor regis dirigit, debito in honore habendos, & procul vili quadam abjectaque agendi cum ijs ratione, procul indecoro hominibus nobili loco natis, aut fordidæ adulationis, aut obsequij servilis tributo, bonis omnibus esse demerendos officijs: ideo à conjurationibus & conspirationibus contra dignitatem salutemque principis vel reipublicæ, à seditonibus & tumultibus, à violentis consilijs, ab omni partium inter insolentes potentioresque cives studiis, maxime abhorrendum, longeque declinandum esse: ideo malorum, audacium, furiosorum, sceleratorum hominum defensionem ac tutelam nunquam esse suscipiendam, sed soli virtuti ac innocentia oppressæ, magnò semper animò opitulandum; contra verò, etiam à commendatione personarum, quas optimè non noris, vel causa, quam bene perspectam non habeas, religiosè omnino abstinendum esse:

esse: ideo artem bene concedendi quæ peteris, artemque cum gratia & lepore negandi, excusandi, recusandique discendam, ut & beneficijs, & ipsa iusta humanissimaque excusatione animi obligentur: ideo familiaritate cum nemine uti nimia, verbis iocisque ab urbanitate alienis & frivolis indulgere, præstandi semper vicissim honoris mutui, humanitatisque leges præterire, auctoritatem quandam aut asperius monendi, aut liberius de amicis loquendi, arrogare unquam liceat; quam enim delicate cauteque amici ac familiaris munere nos fungi oporteat, illud optime dictum admonet, nulli te facias nimis sodalem; gauderis minus, & minus dolebis: ideo cum nemine esse offensiones quærendas, & terminandas quâtoctius inimicitias: nec in inimicitijs ipsis, in extrema labendum, nec omne decorum humanitasque amittenda, nec implacabili cuidam odio locus dandus, nec omnes futuræ reconciliationis viæ penitus præcludendæ, parcendumque tandem; & secundum divina monita ac præcepta, esse denique condonandas injurias: reminiscendum verò semper attentè, ne quid committatur in ira, quod ira defervescente commisisse, vel dixisse, aut pœniteat, aut pudeat: ideo denique fons ille primum obstruendus, unde omnia contra civilem vitam charitatemque peccata effluunt, immoderatæ nimirum ambitioni, ac superbix, continuo propriarum utilitatum quæstui, vesano turpique & in omni occasione, & ex ipsa republica lucri amori, cupiditati habendi, ac immensæ ditescendi libidini, definiendos quosdam tandem terminos, & mediocritate beata standum esse, juvenibus sæpenumero consulitur & suadetur: si tam gratia, principis, quàm civium florere, si vitam tranquillam & beatam quoad fieri potest propiorem exoptant.


Jam scio, cum hæc non ingrante nec fastidiosè a vobis,

bis, viri summi, audiri, e diligenti vestra ad ea, quæ hæ-
 tenus dixi animi attentione coniiciã, me multa adhuc hoc in
 genere posse dicere, sed me longe plura omittere, silenti-
 oque premere, ne sim nimis longus, oportet. Sed quæ-
 ratis fortasse præ cæteris curiosius, utrum adolescentibus
 dissimulationem commendandam putemus? quibus inge-
 nuam, nudam, apertamque simplicitatem, ipsa quædammo-
 do generatim infudit natura. Nos tamen plerosque ex
 iis dispicimus, esse eos suo apte genio nimis tectos, obscu-
 ros, latebrisque plenos, quæ abscondita indoles undecun-
 que ipsis veniat, & nunc & olim magnopere eos reddit
 suspectos. Vitium hoc in iis corrigere, fere supra vires,
 artemque omnem est. Videmus alios, qui sequuti natu-
 ram, plane evoluti explicatique sunt. Nos autem utris-
 que ingens cumprimis inter simulationem ac dissimulati-
 onem discrimen exponimus: nam simulamus, esse quæ
 non sunt, dissimulamus, ea non esse, quæ sunt: illud est
 fingere, hoc tacere est: illud purum putum mendacium,
 istud est veritatis silentium. Nefas est dicere unquam,
 quæ non sunt, fas est, celare aliquando, quæ sunt. Sed
 cum cautissime, & quam dici potest circumspicius, cum
 hominibus præsertim in aula vivendum sit, ibi dissimula-
 tionem affirmamus esse, & utilem, & salubrem, & omni-
 modis necessariam. Ne tamen illam cum fictione & fal-
 lacia, cum ancipiti semper ambiguaque agendi vel lo-
 quendi ratione commisceant, admonemus: aliud enim est
 opportuna nonnunquam veri occultatio, aliud aut falsita-
 tis confictio, aut abditus perpetuo, & ut ajunt, semper du-
 plex quidam & biformis animus, pectorisque cum lingua
 dissensio. Qui dissimulare sciunt, suspiciuntur à pruden-
 tibus; ambigui suspecti sunt, meritoque ab omnibus, iis
 omnino diffiditur. Brevibus, dissimulatione, subtilitate

D

&






& acumine opus est, non ut quenquam decipias, sed ut decipiaris à nemine. Quodsi etiam, ubi interrogaris, sensa tua occulere persæpe præstat, multo magis occulenda sunt, ubi nulla sit, quid sentias, aperiendi necessitas. Imprudentissimi sunt hominum, qui nulla re cogente, cogitata sua facile & temere produnt, & inter partes, alterutris offensionem incurrunt. Tacendo utriusque amici, loquendo, unius hostes ut simus, oportet. Amicos inter rem te putas habere? sed habent & amici amicos. Res sensim gliscet, & quo nolles, perveniet. Tunc secretos, cautosque vis omnes, cum tu tibi ipsi secretum non serves? Ego tamen ab his solum amicum excipio, quem optime diuque probaris, cui fere plus etiam, quam tibimet ipsi possis fidere. Hæ sunt itaque apud nos similesque dissimulationis leges, sed & ea potissima: in magni momenti rebus, & quæ te concernunt, negotijs, per diligentem animadversionem, quæ dicas, quæque respondeas, meditare, aliis te non immisce, necingere, nisi voeet officium. Nunquam pœnituit tacuisse, sed esse loquutum. Puterne quispiam juvenem, malum fore civem, qui his principiis dissimulator deveniat? Nam de cæteris, quid ego hic pluribus?

Appello jam vestram ipsorummet fidem, nobilissimi juvenes, quoties, subcivis temporibus, & quasi aliud agendo, legendo, explicando, plurima hujusmodi politices ac moralis doctrinæ principia, olim vobis in vita civili profutura, sparsim passimque, ubi opportunitas adest, vestris mentibus inspiratur, insinuantur & quodammodo asperguntur? Nunc vobis dicitur: En è re lecta videtis, quam nihil in vita, sine gravi maturaque deliberatione, ac sine bono in consilio aggrediendum sit; quam nimia festinatio, aut consilii melioris contemptus, quam obstinata & pertinax suæ
opinionis

opinionem sensuique adhaerere, & magna negotia, & homines in ruinam praecipites agit. Nunc, ut notetis, mone minor, quam, vel in gravissimis difficultatibus, obstaculis, periculis ac infortuniis, animo cadendum, despondendumque, quam a bene, iuste, prudenter recteque captis, desistendum non sit, nec malis cedendum, sed contra eundem audentius, & quantacunque potentia insolescentes superbos & arrogantes homines, sola animi firmitate frangendos, retundendosque: quam, si vis bene intenta, & caepa assequi, nulli labori, nulli diligentiae parcendum, nullaque sit praetereunda occasio; quam nihil sit, quod magno fortique superari non possit animo, dum nos vel in subitis ac improvisis non deserat, mensque casibus ac malis imperterrita, & praesens vel in inopinatis semper adsit consilium. Nunc ut ex uno vel altero magnorum virorum conatu irrita intelligatis, admonemini, quam ab eventu de praclare ab aliquo ceptis iudicandum non sit: qui enim & bene cogitavit, & prudenter rem aggressus est, & modos omnes, ut humanitus potuit, mature provideque disposuit, deinde casu inopinato praeventitur, laudandus contra vulgi iudicia semper est, & a recte intentis, & a mediis rebus providentissime industrieque paratis, quamvis forte successus non responderit: non habemus enim nec vires, nec superius fato & fortuna ingenium. Nunc, ut animadvertatis, rogamini, quam nonnunquam consilium mutare in melius, & prudentissimorum virorum rationibus obsecundando, a proposito removeri, nedum nihil indecorum aut inglorium, verum etiam laudabile, salutare, gloriosumque sit. Nunc, ut observetis, docemini, quam continua dubitatio, metus eventurorum nimius, rei iam satis discussae & examinatae dilatio, in rebus gerendis



tarditas & procrastinatio, animus semper irresolutus, & omne in prudentia nimium, aut vehementer noceant, aut utiliter & præclare meditata in nihilum sæpè sæpius ver-
tant.


Nonne alias arrepta occasione graviter fortiterque, etiam atque etiam persuademini, summam honoris proprii, boni nominis ac existimationis rationem, vos in omnibus habere oportere, nec correptionum, nec metus, nec pœnæ, nec damni, sed honoris optimæque famæ studio, bene ut recteque agatis, culpam omnem vitetis, vos pro vestra nobilitate decere? Honoris tamen notionem, falso vobis accipiendam aut interpretandam non esse, sed eum solum verum esse probarique honorem, qui plane cum virtute & honesto cohæreat, qui legibus ac officiis omnibus & contineatur, & libenter obtemperet. Aliter honorem & decus intelligere, rem esse stultitiæ dementiæque plenam. Quamobrem meministis, quam vindictæ à superbia semper, sed nequaquam à vero honore ortum ducentis, quam infanorum duellorum contemptum, fugam, horroremque vobis inspirare conemur: duellorum inquam, quæ sæcundissimis illis summorum heroum matribus, Græcæ & Romanæ rebuspublicis penitus fuerunt ignota, quamvis & nobilissimis, & incomparabilibus in re militari viris semper floruerint; duellorum omnium gentium principumque, imo divina, naturalique legibus prohibitorum, duellorum, quæ barbari & agrestis sæculi duodecimi in christianam rempublicam invexit insania, quorum furor non parum jam hucusque defêrbuit, & religione ac sapientia principum, tandem aliquando tolletur. Reminiscimini præterea, quemadmodum hoc loci vobis sæpe celebratur, quam & omnia vestra ad gloriam referenda sint, & quam moderatam cupiditatem gloriæ vos
habere

habere necesse sit, quam alienis decoribus turpiter invidendum non sit, sed suum cuique decus honestissima duntaxat æmulatione parandum; quam denique execrandi detestandique sint ii, qui propriæ gloriæ immoderato ardore abrepti, rempublicam susque deque commiscent, & bellorum civilium flammam excitant, quemadmodum patriam sæpe obruit olim gloria paucorum, & laudis titulique cupido, quamque pro immortalī fama nominis, diris potius & a civibus, & a posteris, infausta eorum devoveatur memoria. Plura vobis id genus, quæ identidem auditis, commemorare vellem, sed jam ad postrema festino:

Patris jam, senis optimi, multa cum filio colloquuti, verba, quæ aliquando cum voluptate audistis, vobis in memoriam revocabo: his eum denique alloquutus est: Vitam fili, vel privatam domi, vel in republica ages. Ego qui in tractanda republica senui, siquidem vixero, domi te delitescere non patiar. Liberos enim, non mihi, ut haberem, optavi, sed patriæ. Te quidem dixisse memini, quod non videris profligatis his ac calamitosis temporibus, quid tantopere boni reipublicæ attulerint, qui ut & ego, totos se illi juvandæ erigendæque impenderant. Omnia pessum ire, pejoremque nos rempublicam, quam repererimus, post nos posteris nostris relinquere. Inde mihi tu videre reipublicæ fastidio tædioque affici, & ad domestica potius animo propendere. Quod si ita jam omnes boni cogitent, sic loquantur, sic agant, tum proculdubio respublica hæc nostra, in solas malorum perfidorumque manus incidet, illi verò rerum potiti, quem jam locum, quod jurerum, quam pyrum bonis in toto relinquent imperio? Si tu id non times, (nescio vero quî non timeas, si nondum tibi, at tuis saltem posteris,) sique vitam privatam nostræ præferas? integrum id a mea tibi morte erit. Nam
ego

ego tibi vitam quidem in publico, commendo & laudo, solitudinem fecessumque non damno. Privatus certe dum uxorem, (quam acceperis) filios, filiasque, (si susceperis) clientes & servos, populum & plebem in ditione tua, pie, iuste, recte diligenterque gubernare studueris, & hac profecto ratione, domi bene de multis hominibus, ac de patria ipsa non parum merebere. Sed ego, ut vitam in republica privata præponas, & cupio, & compendio, meum tibi exemplum ob oculos statuo. Desperandum enim nunquam est de republica. Patria bonis eget. Mihi autem perquam volupe jucundumque est, conscium me mihi esse, quocumque tandem rerum eventu, infructuoso sapius, aliquando cum fructu, me pro bono publico diutissime laborasse, semperque aliquid conatum fuisse.

Si & tu capeſtes rempublicam, eorum omnium quæ de religionibus, legibus, officiis, principe, senatu, judiciis, comitiis, castris, à me toties accepisti, quæſo ſemper memento. Hic iam unum te monitum velim, in magiſtratus & officiis, diligentiffimus indefeffusque eſto, defatigationem laboremque nullum fugito. Qui curant rempublicam, laborioſiſſimam eorum vitam eſte oportere memineris. Non ad oſtentionem pompamque fili mi, tituli, munera, faſces, curules & oſtrum ſunt, non ſuperbiæ alimenta, non tumoris, non vanitatis, otij, voluptatiſque fomites. Vos juvenes his externis illecebris, hac ſuperficie capi ſcio, ornari ac eminere aliis duntaxat cupitis, nucleum amittitis. Sed, o miſerum pœnitendumque magiſtratum, qui ſomno, fabulis, epulis, ludis, choræis, muſica, venatu, diem vitamque dividit, qui omnia egregie agit, præterquam quæ oportet agere. O pudendam & adoleſcentum noſtra hac tempeſtate ſocordiam, qui florente robuſtaque ætate, his ita aſſueſcunt, his emolliuntur, ut deinceps



ceps sint ad omnem laborem ærumnamque tolerandam inepti. Non meditantur, nisi nugas, non delectantur, nisi meris nugis, dies toti & menses, & anni, nugæ, otium, risus & ineptiæ. Alio more ego te hucusque continui, habitum quoque mihi contraxisse videris, utilius te occupandi, nisi prava cum otiosis homuncionibus, seu quibusdam potius Æsopi cicadis societas, aliud aliquod, oblectabilius tibi vitæ genus efficiat. Si, quod spero & e studijs tuis metior, pergas, qua capisti, næ tu corticem pro nucleo, fimbriam pro pallio, officium pro pompa & apparatu non accipies, sed officium pro officio geres; & sive miles, sive civis, sive iudex, sive magistratus, sive minister reip: sive senator futurus sis, totum te militi, civi, iudici, magistratui, ministro, senatori, impendes. Ordinem diei & actionum, quem tantopere totiesque à me tibi commendatum reminisci potes, tibi semper præscribe & præcipe, ipsique tibi, tanquam tuo præceptori obedi. Quanquam vero, agendi ordo diurnus, pro temporibus, locis, ac muneribus sæpe permutandus sit, imo sæpe & necessitas ac fortuita vitam ordinatam permisceant, hæc tamen sena, preces nimirum ad Deum, res officii tui, œconomia domestica, lectio, & scriptio, & amicorum obsequia, in omnem quomodo-cunque sectum, & perturbatum diem, semper ut intrent, memento. His vitam in republica temperabis, his eam tibi minime tædiosam, sed utilem jucundamque omnino reddes. Ita non cum brutis animantibus, recipere auram & reddere, sed cum hominibus ut hominem decet, in societate, Deo, Patriæ, Tibi, tuisque te vivere certo scies.

Salutis jam suæ corporisque curandi, primum munus cuique natura præscripsit; huic pestifera nôris duo esse venena, gulam immoderatam, & afflictionem animi. Cassibus exceptis, nemo non ex his una causa moritur. Pro

anti-

antidoto contra primam, ne potu unquam esuque excedas, ut abstinencia ferotina, semelque in hebdomade, vitia corporis & superflua castiges, ut quæ a prudentibus nocere dicuntur, vel semel bisve alias nocuerint, contingere deinceps caveas, tibi ipsi impera, hocque loci memineris effati cujusdam: fortis animus quidquid sibi imperavit, obtinuit.


Sed quod jam remedium illud calamitatis internæ mentisque reperias? hoc profecto perarduum est, nec ullum quibusdam temperamentis prodest. Ego me ita in ærumnis gravibus persæpe juvi: animum & cogitationem a præsentî dolore totis viribus retrahere, atque omnino ad alia abripere & convertere studui: cogitare sic suevi, vim mali paulatim oportere minui, itaque ratione tempus antevertendum esse, potius ut ratio sanet, quod dies sanabit. Nunquam mihi ipsi ærumnam multis solitarius exaggero, sed eam potius multis extenuare mihimet ipsi satago. Maximo mihi contra dolorem scuto semper fuit, divina necessitas. Plura tibi non dicam, locus enim immensus est, nec hujus temporis: paucis omnia tene: religio, ratio, mora, libri, & amici, in tristitia & ægritudine animi, plurimum semper potuerunt.

Jam cum pridem prætextam posueris, lustrumque agas quintum, qua de re nullam hucusque tibi mentionem injeci, jam inquam in præcipuum vitæ domesticæ civilisque adminiculum, in perennem utriusque fortunæ communionem, ac præsentissimum in adversis solatium, de conjugali vinculo paucissimis te mihi monitum velim. Parentis jure non utar, veri tui amici, bonique consiliarii, sine, vices ut agam. Delectus penes te est. Unum scito, neminem me vidisse felicem, cui nupturo, solæ cordi fuerunt, solæ placuerunt divitiæ. Deus ille optimus, maximus,

mus, conjugii inter homines scopum & finem, non nummos, non aurū, non gemmas, non vastas possessiones statuit. Qui hæc sola in connubio quærit, inauspicato infausteque nubit. Habebit, quas & perdet, opes, sed tranquillitatem animi non habebit, sed non erit contentus. Putasne vero tu non esse longe meliorem mediocritatem, imo paupertatem ipsam, cum animo contento & læto? quam cum continua domestica calamitate & mœrore divitias? Non existimes autem me tibi consulere, quam nuptam velis, pauperem egenamque tibi esse quærendam. Tantum adest ut ita cogitem, potius ut adolescentes illi, amentes furiosique mihi esse videantur, qui solo cæco illecebrarum fœminearum amore abrepti, animi impotes, nulla futuri cura, de nullis necessariis ad vitam utriusque commodam subsidiis anxii, nihil præter imaginem coloremque brevi perituum depereunt, nec ullis parentum, consanguineorum, amicorumque persuasionibus abduci avellique se sinunt. Hac insania, nihil omnino insanius. De perneccessario enim pro cujusque conditione, qui ab istis ineptissime negligitur, modo vivendi agitur. Sed sinamus jam pueros cogitare de nucibus. Mihi quidem videtur, juvenes opulentos hic aliter, mediocrium bonorum aliter, cum inopia confictantes aliter, secum statuere oportere. Ita quidem, ut divites, si magnas possint connubio adipisci opes? faustum id illis sit; si minores? si nullas? jam illi excellentes sint contenti virtute: cum sine accersitis opibus pro gradu & sorte nascendi liceat illis percommode vivere. Infinitæ etenim maximarum opum aviditati modus tandem aliquis ponendus est. Qui verò mediocre patrimonium nacti sunt? aut æqualem, aut paulo majorem minoremve ut quærant dotē, imprudentes, avari & iniqui non erunt: nimis tenuem aut nullam si expetant? teme-

E

rariis



rariis propiores sunt. Qui jam inopes, orti autem stirpe quadam illustri? indulgendum profecto illis est, magis ut anxie aliis fortunam ab honesto matrimonio quærant. Ita enim clara nomina, quocunque fato, vel lapsui proxima, vel collapsa, solent refici: nec hic illis difficilis, imo compendarius crescendi modus est. Amicum tamen bonum & probum in societatem vitæ semper sibi esse legendum meminerint, non facculos, non marsupia. Ita, ut quidquid vel ab utrisque Indiis auri veniat, sine certa dote virtutis honestique despiciant: secus, cum splendore magnisque opibus diu miseri, calamitosi infelicesque futuri. Ego vero jam id a te duntaxat volo: audisti illud e Poeta quopiam: virtus post nummos, de moribus ultima fiet quæstio: tu mutabis prudenter ordinem, & post virtutem, nummos pones. Educationem rectam, pietatem, animi bonitatem, innocentiam, pudorem, pro ætate prudentiam & iudicium, diligentiam, ingenii gratiam, morum elegantiam, aliasque virtutes, per te, perque tibi fidos, a domesticis imprimis, dextre, industrie, sollicitæ, diuque explorabis: multos consules, eos præsertim, quorum maxime interest te fortunatum videre, & in summo vitæ negotio consulentibus deferres. Deum autem, si alicujus, profecto istius præstantissimi, dum quem in vita velit felicem, doni, fontem auctoremque agnosces, & puris manibus, castisque votis tibi placare non desines. Constantiam in prosequendo ita coles, ne in pertinaciam degeneret. Honoris periculum ubi non est, non finge. Quod, re nulla omissa, fieri non potuit, desine. Cæterum de æqualitate natalium, disparisque fortis tristibus, quæ inde fluunt, consequentiis & eventibus, id unum te oro, cave, in ulla re pecces contra sanctum illud plenumque sapientiæ principium; si vis nubere, nube pari: quod de æquali conditione, ætate, moribus, indole, fortunis-


fortunisque te intelligere velim. Unum jam denique, dum in his versamur, monendus mihi es: nec nimis cito, nec nimis tarde. Luxuriæ flagitioque dediti juvenes, continentibus bonique necessario ne deveniant, diu timent. Libertatis nomine id illi vocitant, quod est intoleranda infrenis licentia. Vinculum & jugum se abhorreere clamitant. Falsi sane & ridiculi. Similes fui, non nos, his illi obfuscent. Ab ineunte mox virili ætate maturandum omnino est in amplectenda ratione vitæ. Quo plus proteclatur, plus obstaculorum differendo enascitur. Debitæ in delectu prudentiæ, morositas, nimiusque metus locum accipiunt. Interea senectus difficilis occupat. Turpe autem seni est deliberare de genere vitæ, cum desinendum est vivere. Plura istiusmodi optimus suavissimusque Parens: sed mihi vel horum aliquam vobis reminiscenciam fecisse sufficiat.

Cogitetne fortassè quis vestrum AA. ad vitam olim civilem, necessaria & utilia adolescentibus, hæc & longe horum plura, a vobis existimari, sed subvereri vos, ne multitudinem rerum, eorum fortassè obruatur memoria? At præterquam quod cum Quinætiliano sentiam, doceri plura eodem tempore primam posse ætatem, nullamque fatigari minus, abesse adhuc isti ætatu læ laboris iudicium, esseque dociliora ingenia, priusquam obduruerint: insuper etiam vos reddo securos, sensim hæc illis immitti in animum, & quodammodo instillari, intermiscerique ista, inter studia, lusus, discursusque totius diei, & iterum iterumque opportune iis eadem repeti. Fateor jam ad ea quæ hætenus innui, adhuc desiderari plurima, atqui dies, vox, animusque me deficeret, si omnia vellem: ad hæc vero quæ præacta sunt, posse omnia haud difficulter reduci putaverim.

Sed eamus in ætate juvenili ad summam rerum. Prima eorum virtus, quæ, ut boni sint aliquando cives, loco primo, in iis requiritur, est, eorum docilitas, ac obedientia; cum contra illis ad nihil æque, quam ad resistendum, prona omnino sit indoles. Quamobrem id iis sæpissime inculcatur præ cæteris: maximum esse in adolescentibus flagitium, si obedire detrectent, si obstinati & contumaces, eorum a quibus reguntur, auctoritatem contemnant. Persuadetur iis hac in ætate eos discere oportere, ut plane se subdant, alacriterque submittant præceptoribus, quo facilius deinde se se subjiciant magistratibus. Rempublicam aliter gubernari non posse, nisi quorum munus est, regant, & imperent, alii imperantibus obediant. Exercitum aliter stare non posse, nisi prompta, & exactissima, ad jussa præfectorum alacritate. Si itaque boni patriæ cives, bene regibus subditi, submissique, boni milites esse velint, nunc iis obediendum esse, nunc cervices ad jussa majorum, nutumque flectendas, nunc voluntatem eorum frangendam, edomandosque esse animi impetus, qui si sinerentur indomiti, longe gravius illis, acerbiusque futurum sit, eos in provectiore ætate infringere, ac colla jussæ a Deo potestati, ut par est subdere. Maximarum fortunarum, ac familiarum, honoris, libertatis, & vitæ pericula, iis deinceps imminere, qui a teneris, majoribus suis morem gerere, & libenter obedire non didicerint. In majoribus longe rebus, velint, nolint, illis olim necessario obediendum esse. Ad hanc ergo cum primis virtutem, modis omnibus ducuntur, & nisi persuasionibus se dedant, etiam prudenter, cauteque coguntur juvenes. Nihil itaque omnino ut tale sit, cavetur solícite, quod tandem facere, ut jubentur, non debeant. Nunquam contumacia eorum vincere finitur, sed semper ut vincatur,

tur, studetur. Qua in re, ne indurescant, majoremve malignitatem contrahant, consilio opus est. Aliquando mox iussa facere adiguntur. Nonnunquam temporis ceditur, & cum a nimio animi motu deferbuerint, prudenter, fortiterque, mandatis ut pareant, agitur, ne unquam eorum pertinacia triumphet.

Ad hæc jam tam diversa, tam adolescentibus ardua, quibus modis eos efficacius adduci posse arbitramini? aut forte me interrogetis, quibus ego ipse arbirer? nequaquam certe asperitatibus & pœnis, nequaquam inhumano crudelique orbiliorum more. Tametsi, cum syderata quapiam, indurata perditaque indole, postquam tentâris omnia, modosque omnes suaviores exhausseris pro prudentia & necessitate, miseris ac infelicibus educatoribus, velint nolint, duris quoque & asperis utendum aliquando sit. Sed duæ imprimis educandi rationes, a nobis cæteris omnibus præferuntur: persuasio nimirum frequentissima, & continua solersque vigilantia. Igitur ad optima quæque iterum atque iterum, etiam atque etiam repetitis cohortationibus, doctrinis, & monitis, ducendos existimamus juvenes. Rationes nostræ sunt, quibus ad omnem perpellantur virtutem, Dei timor, christianæ legis sanctitas, conscientiæ voces, decus & honor proprius, amor, gratusque parentibus animus, claritudo natalium, futuræ bona & commoda vitæ, amor patriæ. Hæc itaque sunt, per quæ eos obsecrare obtestarique solemus, monitionum nostrarum principia, Deus, salus animæ, religio, rationis lumen, honor proprius, parentum solatia, ornamentum familiæ, patriæ caritas, gloria nominis, maximum vel a teneris, dum eo parentes, præceptoresque recte utantur, ad virtutem incitamentum. Sed dum hæc illis prædicantur, majorem adhuc eorum bene educandorum vim, in
 summa



summa quadam vigilantia statuimus. Assiduitas certe, præsentia, oculique perpetuo ut ita dicam fixi apertique super juvenibus nostræ educationi traditis, plus in iis omni eloquentia & suasionem proficiunt. Eorum enim ætas & ingenia, cum pœnis indurescere sæpius solent, tum persuasionibus nondum satis moventur: aut enim eas non satis percipiunt, non undequaque penetrant, aut persicile, centiesque obliviscuntur dictorum. Naturâ enim eorum, ac incredibili magistrorum supplicio, scitis, pueros esse mente minimis occupata, distenta, distractissima: donec ætas, & quidem in variis varia, ardorem eorum temperet, & vagos dissipatosque colligat. Sed cum eis continuo invigilatur & indefinenter attenditur, cum semper sibi censorem observatoremque adesse conspiciunt, tum plus ejus reverentia, quam quibusvis: aut pœnæ minis & timoribus, aut exhortationibus, ad officium componuntur, reddunturque morigeri. In hac ergo perpetua ac infatigabili custodia & observatione, in his a prima luce ad vesperam, a crepusculo ad diluculum, super eos excubiis, nos præcipuum momentum debitæ ac sollicitæ educationis, collocamus.

Itaque, quamvis plurima jam silentio prætereunda mihi sint, claram jam, amplamque rationem, vobis, Proceres amplissimi, me reddidisse arbitror, de modis, consiliis, monitis, principiis, quibus hoc loci nobis esse utendum, pro officio nostro ducimus, ut pro viribus nostris, patriæ, cum *honestos viros*, tum *bonos cives* instituere possimus. Hæc omnia ut eorum mentibus enucleentur, explicentur, imprimanturque, præter occasiones ut dixi quam plurimas, quas hæc illis insinuandi, aut in scholis, aut perpetuo cum iis versando, & continuo quærimus, & libenter arripimus, habent quotidie quovis mane quartam
horæ

horæ partem, habent quovis die festo, unam mane, alteram a meridie horam, & pleraque alia habent stata tempora, quibus iis præcepta ejusmodi, debita perquam solícite traduntur ratione, & methodo. Adjumento ad hæc utimur lectissimorum scriptorum, ad quos, uti & in omni genere, legendos præstantissimos auctores, gustum & voluptatem omnem juvenibus inspirare studemus. Qui enim in lectione optimorum librorum delicias reperit, amplius sane magistro non eget. Nos itaque inter præcipuos ex educatione fructus, hunc excellentem statuimus, si juvenes legere ipsi ultro bonos libros incipiant, si iis magnopere oblectentur: hanc enim musis valere jussis, è scholis egressi, pulcherrimam vitæ occupationem, si semel illis ad palatum venerit, nunquam reliqua vita deserere poterunt. Lectio vero eos & probos & magnos in republica viros indubitanter efficiet.

Finem jam & exitum, mea non reperiret oratio, si omnia, quibus nobilem juventutem imbui à nobis oportet, exhaurire conarer. Hæc compendio dicta, cursimque attracta sufficiant. Jam quod quispiam diversis, maximis minimisque, integris ac pertusis, & per rimas stillantibus vasibus, in quæ ex uno elegantissimo, copiosoque fonte, aquæ ab alto decedentes, æqualibus depluebant rivulis, perbelle inscripsit: *Pro capacitate cujusque*. Idem & vos sapientissimi Auditores, hic quoque evenire, semperque eventurum facile animadvertitis: nempe secundum capacitatem cujusque & ingenii & cordis, quæ nos nec latiora, nec meliora, effingere possumus, quemvis adolescentem, hic quoque haurire, & quæ hauserit retinere. Utinam nostro sudore, salute & vita stare possit! ut omnes æqualiter! si vero hos illis, plus profecisse, profecturosve videbitis, argumentum tamen erit, nos æque imbuendis,

fingen-

fingendisque omnibus, curas omnes & vires impendere.

At cum hoc loco non tam nostram, quam reipublicæ causam agendam mihi esse probe intelligam, ejus enim maxime refert, recta & diligens juventutis institutio, jam vos ipsos, Patres Conscripti, cum summa dignitatis vestræ veneratione exorandos mihi esse duco, sitis ut judices, cuinam exigui quandoque ex educatione fructus, culpa, fraus & damnum adscribenda sint. Nam videte, quæso, quemadmodum a genitorum plerisque, liberorum educatio, quam Marcus Aurelius sapientissimus Imperator, vel a cunis nutricumque lacte incipiendam, malisque adhuc vel infantium inclinationibus, obstinationi, & iracundiæ jam tum suaviter prudenterque obviandum esse, præclare sensit, quam inquam, liberorum hæc educatio ad tertium fere lustrum, nonnunquam fere vicesimum prope annum, infeliciter ac improvide differatur. Contra-ctisne jam firmatisque propemodum domi vitiis, pertinciæ, ac animi duritiæ, educatores efficax aliquod possint afferre remedium? Quid illæ in educando perpetuæ mutationes locorum, pædagogorum, præceptorum? jam domi, jam in his, jam in aliis scholis? jamque iterum domi? cum nihil educationi tam obsit, quam crebra & locorum, & institutorum, & modorum instituendi, docendique variatio, ac dissimilitudo, ceu quædam inconstans tempestas; nihil vero magis fit illi proficuum, quam constanter eadem in dirigendis erudiendisque pueris, via & ratio. Quid jam vobis videtur, educatione annis multis neglecta, dum unius duorumve annorum tandem a parentibus intervallum conceditur? ad corrigendas vitiosas animi inflexiones, ad comparandum virtutis habitum, & conquirenda brevi adeo tempore simul varia ingenii ornamenta? cum ipsa parens omnium natura in corporibus
forman-

formandis, mentibusque perficiendis tam paulatim laboraret?

Quid adhuc dicatis, quid judicetis de iis, qui suos liberos à temporibus & horis, ad studia optimarum rerum, ad doctrinam morum, ad religionis officia destinatis, vacationis in hebdomade, aut festi diei prætextu, abstrahere identidem solent ad mensas, convivias, amicorum salutationes, conventicula, theatra? quasi totum vitæ spatium præ iis non sit, quo his olim vel ad fastidium fatientur. Ne vero nos hic, quæso, esse nimium severos ofores censoresque aliquis arguat, vel qui in cubiculorum latibulis nobilem juventutem perpetuo continendam velimus; cum nostro iudicio, uti jam innui, novi isti humani generis hospites in societatem humanam inducendi, producendique necessario sint, nec ullibi eos, quàm inter viros fæminasque illustres, morum continentiam ac elegantiam posse edificere, affirmemus: vosque Viri Principes decet, pueros & adolescentes vestra humanitate, ac singulari comitate allicere, ut & nunc ad vivendum, versandumque summos inter homines, sensim animos sumant, & fera ætate vestrorum etiam exemplorum meminerint. His & nos damus plurimum, sed id statim temporibus facimus, ne ordo domi fuscque deque paucorum abusu vertatur. Perturbationem tamen hanc, quæ in similibus apud exteros consecratis ad educandam juventutem locis, nunquam toleratur, imo nunquam contingit, nos sæpe nimia nonnullorum importunitate victi, tristes & inviti perferimus: Justane hæc est nostra de detrimentis bonæ educationis apud vos querimonia?

Quid de illis? qui impotenti quodam prolis suæ amore, permultis diebus, imo mensibus, domum suos liberos à curriculo studiorum avellunt, nobisque tales post-

liminio reddunt, quos & prioris disciplinae, cui jam non-nihil affueverunt, vehementer tædeat, & ita denuo, quasi nunquam fracti fuerint, sit cum iis agendum, atque cum relaxatis, gustata libertate otioque domestico, sit a capite ordiendum. Quid denique de iis? qui prudentiæ ac diligentiae illorum diffisi, quibus quidquid carissimum in vita habeant, crediderint, aut juvenum questibus, quos semper male habere constat, cum ad bonum coguntur, faciles, nimiumque creduli, aut invidorum leviumque hominum, quandoque & servorum susurris obnoxii, imo obvii, contenti esse nolunt nostra ratione agendi, conclamant, puerulos doloris sui testes adhibent. Eos vero nonnunquam, qui tota contentione virium liberos illorum meliores reddere satagunt, etiam injuriis maledictisque incessunt. Ita cum rectores regentium, monitores monentium, præceptores præceptorum, quandoque fœminæ etiam nulla educandi experientia præditæ, importune volunt agere, manus præfectorum educationi, quodammo vinciunt, auctoritatem eorum labefactant, animumque iis adimunt.

Ut jam subdiceamus de iis parentibus, qui patriam educationem aspernati & perosi, fastidio patriorum morum, immaturæ ætatis juvenulos, obvio quovis ignotoque, quem duntaxat sermo gallicus commendet, in Poloniam adventitio duce, peregre ad exterarum nationes amandant. Cujus rei quæso, gratia? linguam ut latinam externamve quampiam, historiæ, geometriæ ac geographiæ principia, & cum saltu ac fidibus, similia pueritiæ elementa condiscant. Qua id patriæ existimationis labe? quasi hæc quæri extra regni limites oporteret, quam magnis inutilibusque impensis, quam exiguo suorum fructu faciant, ipsi viderint. Juvenes enim nobiles plurimum


juvat,

juvat, lustrare gentes exterarum aulæque principum; a qua re sapientem laudari, ipso divino probe constat oraculo, in terram, inquit, alienigenarum gentium pertransiet, bona enim & mala in hominibus tentabit. Sed nisi domi prius ediscenda ediscant, ne in minutissimis his rebus occupari alibi ac hæere cogantur, nisi maturiore paulo ætate & ingenio, nisi bene compositis moribus diligentique disciplina subactis, nisi optime delecto probatissimoque ductore id faciant, tales omnino redibunt, quales redisse permultos, hac nostra ætate, & spectavimus, & genuimus.

Prætereamus denique & illos silentio, qui liberos postquam septimum decimum vel undevicesimum attigerint annum, jam educatione & ferula non egere, jam absolutos & rude esse donandos, suo jam consilio libertatique relinquendos, domestico reficiendos perficiendosque otio, aut rei familiaris curæ esse admovendos, existimant. Quod fortunatum sit illis, si superis placet: cum a nobis plurimi alias visi sint, qui vel cum discere ac proficere occupaverint, repente imprudenterque avulsi, vel diligentius etiam educati, sed domi deinceps otiosi & steriles, aut in oblivione omnium, aut in vitiis computruerint.

Videte jam quæso, Patres Conscripti, multis etiam id genus prætermiſſis, quot & quanta sunt rectæ educationis impedimenta, quæ non à nobis, sed ab iis sæpe ponuntur, qui maxime suos liberos & amant, & plus nobis etiam amare tenentur.

Quidquid jam sit de rebus nostris, ut quam plurimum imbecillitate virium, non voluntate certe, & nos, nostro desimus muneri, id unum est, quod tuto affirmare fas mihi est, nos pro virili parte conari, conaturosque semper pro officio nostro, ut bene sit Patriæ, juvenesque nobis crediti probe instituantur. A clarissimis duntaxat eorum



parentibus tempus commodum, non unius alteriusque anni angustiis circumscriptum spatium, debitamque fiduciam: à vobis Celsissime Primas & prime Princeps, Celsissimi, Reverendissimi, Excellentissimique Præsules, Senatores, Regnique Ministri, aliique omnes amplissimi Proceres, potens præsidium tutelamque loci hujus & præstolamur, & petimus.

Miremini autem fortasse, me hucusque de studio linguarum, & eloquentiæ, de artibus liberalibus, scientiisque, tum de iis, quæ ad corporis, commodè formandi exercitationem pertinent, innuisse nihil, sed ut illa omnia, ea, qua fieri possit, diligentia, hoc loco tradi probe sciris, certique his de rebus aliunde jam estis: ita proculdubio judicatis, plus interesse reipublicæ, habere honestos viros, bonosque cives, quam summos oratores, pœtas, mathematicos, & philosophos. In his equidem pulcherrima, ac necessaria educationis ornamenta, in formanda vero ad Dei Optimi Maximi gloriam, Patriæque decus, & columnen, in viros honestos, probosque cives, nobili juventute, totum, ac primarium educationis scopum, & nos, vobiscum statuimus.



X

XVIII. 2. 117